


PALAESTRA LATINA



ANN. XXIII — N. 141

MM. SEPTEMBER et OCTOBER

AN. D. MCMLIII

www.culturaclasica.com

SUMMARIUM

Palaestra Exercitatoria	Michael M. Roura
Aequivocus-univocus	Josephus M. Mir
Ad Catonis librum «de agri cultura»	Emil Orth
Machina vectrix. — Siste, viator	P. Mangeot
De pediludio	Leo M. Sansegundo
Nova et Vetera	Ildefonsus González
Commercium epistulare	Censorinus
Per orbem	
Albius Longus sibi somnia fingit	Raimundus Sarmiento
Bibliographia	Alba-Molina-González
Curiosa et Jocosa	Emmanuel Abad

Palaestra Exercitatoria

Vultus animi imago

«Speculum mentis est facies, ut ait Sætus. Hieronymus, et taciti oculi mentis fatentur arcana». Ex sacris quoque litteris discimus: «quomodo in aquis resplendet vultus prouidentium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus» (Prov. XXVII, 19). Nullum est speculum quod tam lucidam imaginem reddat, sicuti virtus animusque in externo videtur aspectu. «Ex visu cognoscitur vir, ut Sacrae Litterae, et ab occurso faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo» (Eccli. XIX, 26). Et a Christiana fide perfugae signa declarans: «Homo apostata, inquit, vir utilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur» (Prov. VI, 12).

Itaque de Juliano illo a fide perfuga simili ratione agit Sætus. Gregorius. Juliani indolem quidam ex operibus tantum acceptaque potestate cognoverunt. Quod vero ad me attinet, ego quidem Athenis ejus, ubi vidi, mores et disciplinam per novi. Nullum in illo bonum mihi videtur signum exstisset: Cervicem superbam umerosque continenter agitabat, huc atque illuc immanni intuebatur aspectu, inquieto gradiebatur incessu; promptissimum ad alios irridendos animum, linguam in scurrilibus exercitatam, risum effrenatum exhibebat; atque ad idem concedendum idemque negandum sese proclivem praebebat. Ad hoc inordinati sermones nullaque prorsus ratione; intempestivae interrogations; et inconsulte nonnulla prolata responsa sunt ignominia notanda. Quid tandem pravissimos ejus mores singillatim exquiram? Ut concludamus, dicendum me, cum prius perceperisset, ex operibus penitus eum calluisse. Quod si nunc adessent, qui mecum tunc erant, me subito, cum signa in eo vidisem, testarentur dixisse: «quantam sine dubio viperam sibi respublica nutrit!». Quae cum dixissem, mendacem me in re esse optavi. Quod sane si fuisset, nunc Christianam fidem talia tantaque non vexarent incommoda.

Celsonae.

MICHAEL M.⁴ ROURA, C. M. F.

• II c. Philosophiae

PALAEASTRA LATINA

PRETUM SUBNOTATIONIS ANNUAE: 20 pesetarum in Hispania et America. 35 pesetarum in reliquis civitatibus.

Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona.

Scripta ad Moderatorem: Conde, s., Barbastro (Huesca)

Aequivocus - univocus

Legem illam, quam apophoniam seu vocalium mutationem in efficiendis compositis (1) viri docti appellant, omnes, qui linguae Latinae operam dant, perbene agnoscant.

Cui alia proxime accedit lex qua vocalis radici inhaerens mutatur aut saltem ejusdem variatur quantitas. Sic permuntantur ē et ā: fēci - fācio, sēmen - sātus; ē et ē: tēgula - tēgo; ē et ō: tēgo - tōga; ō et ō: vōx - vōco; ī et ī: fides - fīdo, dīco - dīco

Has igitur vocalium et quantitatis permutations quae vel in compositis apparent, vel in nominum radice saepe latent, memoria tenere oportet ne facile in errorem incidamus; sic lūcerna primam vocalem brevem habet, lūx vero ejusque derivata et composita ū litteram producunt: lūceo, lūcidus, lūcubro, cet.; cfr. etiam fido fides, sēdeo - sēdes, rēgo - rēgina, cet.

Dolendum sane scriptores qui prosodiam Latinam docent has leges aliquando oblivisci et in errorem prolabi. Quod si id scripto posteris reliquerunt documentum, plures aetates discipuli ac lectores facile errabunt. Idque, nisi fallor, in vocibus univōcus, aequivōcus evenit. In opusculo enim P. Michaëlis Villate (2) («Compendio prosódico latino», Segovia, 1902) ea indicitur acuendi et propundiandi ratio quam nullibi in aliis scriptoribus reperias. Nam etiam si vox - vōcis vocalem ō habeat longam, tamen vōco ejusque derivata breviant vocalem. Sic FORCELLINIUS aequivōcus, univōcus scribit; RICCIOLIUS etiam in «primo indice generali» Prosodiae Bononiensis habet: «univocus Cp, lbbb», i. e. prima syllaba longa, reliquae breves; ac licet RAYMUNDUS DE MIGUEL notet quantitatem univōcus, hypothetarum lapsus est habendus —sunt enim et alii—, nam in altera parte, Hispanica scilicet, scribit univōcus. ERNOUT-MEILLET quantitatem non significant cum vocales longas fere tantum notent, et ideo breves habeantur oportet aequivōcus, univōcus, plurivōcus; BRÉAL-BAILLY («Dictionnaire étymolog. latin», s. v.) in fine verbi vox, vōcis adnotant: «Vōcure vient d'un mot vōcus, qui est resté dans aequivōcus... La racine Fēr ferait attendre en latin un verbe *vequere «parler», qui serait le primitif de vox et de tout le reste des termes précités». Viri igitur erudití qui vocis ori-

ginem investigarunt verbum indum·europaeum wekw- (3) proponunt —quod cum wokw (4) variaret— et conexionem cum Graeco Féros significant (5) in quibus vocalis brevis est. Convenit igitur inter scriptores de etymologia; ceterum, nihil prorsus suadet adjectiva *aequivōcus*, *univōcus*, *plurivōcus* ex vōce ortas esse, quin immo aliae sunt similes quantitatis mutationes in verborum radice enatae quibus facile evinci videtur ex verbo vōcare originem ducere: *perfidus* - fiducia, dico · dīcax (judīcis), dāre · dōnare, redūcis (dux) - redūci. Praesertim cum adjectiva *univōcus*, *aequivōcus*, *plurivōcus* cadentis sint latinitatis et in grammatica edocenda tantum adhibeantur, ea quantitate pronuntiassesse syllabam ·voc grammaticos credendum est —cum haec vocabula effinxerunt— qua reliqua composita et derivata hujus vocis acuebantur. Idque plane cognitum est complura esse verbi *voco* composita (*advōco*, *invōco*, *avōco*, *provōco*, *revōco*, *sevōco*, cet. cum derivatis) in quibus semper syllaba vōc brevis pronuntiatur.

JOSEPHUS M.^a MIR, C. M. F.

(1) Cujus sunt exempla *dēdi* > *reddidi*, *bābeo* > *adbībeo*, *rēgo* > *dirīgo*, cet.

(2) «Deben pronunciarse las voces latinas conforme a las reglas que indica este Complemento. No se repare, pues, en pronunciar *unitōcus*, *pénsiles*, *Mithridátes*, *pátena* y *manicomíum*... de que sea así, no tenemos nosotros la culpa» (*Complemento prosódico latino*, p. VI), et in pag. 40: «dōc. Excepciones: 1.^a *foco* (ahogar) y *vocus*», et in notula: «Creeríamos que todos los nombres así terminados deben pronunciarse largos, aunque el Miguel escriba *aequivōcus* en la parte latina de su dice. y *univōcus* en la castellana. La mayoría de los AA. con Miguel, los hacen derivar de *vox-vōcis*. Calepino sin embargo deriva *aequitōcus* de *voco-as* y por eso lo hace breve».

(3) ERNOUT MEILLET, *Dictionnaire étymologique de la langue latine*, s. v.: «Le latin n'a qu'un verbe dérivé *vocare* dont le e, au lieu du qu attendu, indique l'influence du nominatif *uōx*, mais qui a gardé le vocalisme o bref».

(4) DEVOTO, *Storia della lengua latina*, p. 21.

(5) SOMMER, *Handbuch*, § 49. JURET, *La Phonétique latine*, 33 — Aliam hujus verbi explicationem Dnus. Pariente profert: «a mí me parece que un *vōcare* podría explicarse perfectamente a partir de *vōx* - *vōcis* con sólo suponer que el sentido intenso inherente al *-are* provocó la geminación de la consonante interior: **uōcquare* > **uōcquare* > *uōcare*» (*Estudios de Fonética y Morfología latina*, Salamanca, 1949, p. 337).

Ad Catonis librum "de agri cultura"

Marcus Porcius Cato Censorius (234-149), homo politicus et auctor multorum librorum, scripsit opusculum, quod «de agri cultura» inscribitur et antiquissimus codex orationis solutae Latinae habet; quem libellum edidit et recensuit Henricus Keil (Lipsiae 1884).

Cujus in opusculi capite primo (pag. 11 vs. 12) Cato hac ratione de mercatore judicat: «mercatorē autem strenuum studiosumque rei quaerendae existimo virum, ut supra dixi, periculosum et calamitosum».

Omnis codices et editores usque ad nostram aetatem non *virum*, sed *verum* scripserunt, at erraverunt, quoniam *verum* mendo palaeographico ortum inuriaque servatum est.

Cato certe agricolam *virum* bonum exemplo proponit eique mercatorem opponit, qui quamvis sit strenuus, tamen propter quaestus cupiditatem non vir bonus dicitur. Mercator quidem ipse vir quoque nominari potest, sed non vir bonus; potius vir periculosus et calamitosus est; numeratur in civibus ut reliqui omnes Romani; neque laudatur, sed existimatur tantum vir virtutum et vitiorum particeps. Porro ex Catonis sententia mercator nullo modo rei publicae Romanae fundamento neque auxilio est, cum agricola et colonus solus sit vir fortissimus, miles strenuissimus, quaestum maxime pium stabilissimumque consequens, vir minime invidiosus minimeque male cogitans. (E negationibus horum agricolae adjectivorum quodammodo etiam mercatoris mores cognosci possunt). Illa vero sententia, qua mercator strenuus, studiosus quaestus, periculosus, calamitosus describitur, per particulam adversativam *autem* (=«mercator autem...») opponitur laudibus agricolae, qui ante «mercator» et post praedicatur. Itaque non jam necesse est alteram particulam adversativam *verum* in judicium de mercatore inferre; si duplex numerus prior adjectivorum (=strenuus, studiosus) a posteriore duplo numero (=periculosus, calamitosus) per particulam adversativam *verum* distingueretur, oppositio horum duorum parium adjectivorum nimis acriter exprimeretur; praeterea hae particulae ambae adversativae (*autem* et *verum*) in una eademque sententia satis brevi quasi statim sese persequerentur, id quod nimis abundanter dictum videretur. Ideo non particulam adversativam *verum*, sed accusativum *virum* exarare necesse est. In natura igitur mercatoris descriptione verba ita inter se conectenda sunt, prima parte sic:

«mercator autem strenuum studiosumque rei quaerendae»; altera parte sic:

«existimo *virum*, ut supra dixi, periculosum et calamitosum». *Virum* ergo non *ατὸν κοίνον* collocatum est neque ad quattuor adjectiva pertinet, immo solum ad haec duo ultima: «periculosum et calamitosum». (Sententiam de mercatore hunc ad modum germanice transfero: «Den emsig taetigen und eifrig auf Gelderwerb bedachten Haendler (Kraemer, Kaufmann) aber halte ich fuer einen Mann, der, wie ich schon oben sagte, vielen Gefahren und Verlusten ausgesetzt ist.»).

Cato quidem ipse primitus *virum* posuerat; annis vero tot saeculorum praetergressis scriba quidam errore perductus ad suum arbitrium *verum* induxit, quia mercatorem *virum* (sensu Catonis) esse nolebat et facillime litteram majusculam I in E permutare quivit. Postremo igitur non scriba rei ignarus, sed Caro ἀπός ἔργα (ipse dixit): *virum*, quae forma hoc loco rectissima et verissima videtur.

EMIL ORTH

Machina vectrix

*Ponderis ingentis stat machina facta metallo,
Ex Erebo vomitam dixeris esse nigro.
Tenditur immensus venter quast forma Colossi
Octonisque rotis fulta Chimaera cubat.
Compluresque tubae currunt per tergora monstri,
Nubila promittit nigra caminus hians.
Cetera monstra vorant carnes vel gramina sicca,
Vescitur at miris belua nostra cibis.
Ardentes aperit rictus sumitque nigrantes
Carbonis cumulos cum socio laticet.
Ingluviem magnam simul ac complevit anhela,
Congeminent vires pruna stimulque latex.
Immensum valido corpus jam contremit ictu,
Tanquam si subito terra tremat sonitu.
Igniti fumi volitant ex ore camini
Et sparsura solum rubra favilla cadit.
Currus centeni pendent e tergora monstri,
Robore quos valido machina mota trahit.
Area lata patet saxis solidate quadratis
Vectorisque vagi turbida turma strepit.
Hetc stat vir riscis, helc uxor onusta canistris
Et miles fumans, femina cum pueris.
Cum canibus venator adest, matrona vetusta,
Rure peracturus discipulusque dies.
Janitor ecce boat: Tempus! Sedesque gravate,
Machina nam vectrix est abitura modo.
Jamque loco cedit sensim stimulata vapore,
Fistula dum rauco verberat aethra sono.
Jam citius cittusque movet se ferrea moles,
Fervida ferrato volvitur axe rota.
Auras propellit celer impetus eque camino
Emensum spatium jacta favilla notat.
Sedibus acclines per apertas molle fenestras
Vectores lustrant florida prata, juga.
Vicos agrestes, oculis quae visa recedunt
Raptim. Nam velox machina magna volat.
Adspicet Se sinuat per campos perque paludes
Ferreus hic anguis. Flumina nec rapida
Audax horrescit. Suspensum flumine pontem
Aerio cursu mole terens superat.*

*Nec cursum tardat. Largoque foramine montis
 Viscera percurrit machina nostra nigra.
 Dumque per antra volat caligine nigra, tonitrus
 Reddunt terrificos saxa cavata specus.
 Cum loca Plutonis Phoebo vix pervia linquens
 Nocturnis antris machina prodit, iter
 Incepsum cita continuat rapidoque volatu
 Oppida vix stringit, planitem viridem
 Vix videt, internis flammis et pulsa vapore,
 Quae pruna immissa et flumen adauget aquae.
 Interea terram velamine lapsa polo nox
 Nigro contexit, desuper astra micant,
 Nec tamen insopit stimulus hic cursor anhelus,
 Sed ridet tenebras et prout ante volat.
 Machina nam gestit duo pectore lumina fixa,
 Quod superestque vitae, luce notant tremula.
 Jamque subest finis statioque petita salutat,
 Hinc tardat stimulus machina nostra suos.
 Sopito cursu celebrem perlabiliter urbem,
 Terrifico tandem machina stat tonitru.*

P. MANGEOT, S. J.

Saarlovius, in Canisiano

SISTE, VIATOR

*Ante me stantem mediis in agris
 Parva crux surgit fabricata ligno.
 Heic morans paulum titulos inustos
 In cruce disco.*

*«Hic cubat quidam Domino sepultus,
 Sortis ignotae. Peregrinus Olim
 Frigus expertus fuerat repertus.
 Suare quiescat»*

*Quis fuit pauper peregrinus? Expers
 Ipsius famae. Tulerat parens hunc
 Lac fovens alnum dederatque nato
 Ubere plena.*

*O nimis distant hominis caduci
 Inditae sortes! Alium recondit
 Pompa splendescens. Alius sepultus
 Dormit in agris.*

*Sed parum refert. Etenim sepulcra
 Fata ne credas, hominum suprema.
 Lazarus felix, miser ille dives
 Sorte suprema.*

P. MANGEOT, S. J.

Saarlovius, in Canisiano

De pediludio

Ut Cornelii Nepotis verbis utar, non dubito fore plerosque, qui hoc genus scripturae leve et non satis dignum judicent (*Praef.* 1), cum relatum legent, quo pacto latine dicatur «fútbol», aut quaenam sint fingenda vocabula, ut ejusmodi aetatis nostrae ludus apte significetur. Quod quidem non nego. Sed hoc monitos volo, hunc me laborem aggressum, ut horis saltem subcessivis negotium in otio mihi foret Id unum in causa fuit, ut ad *pediludium* pertractandum me comparaverim.

Porro, ignorat nemo, ex omnibus quidem ludis, qui nostra aetate usu maxime veniunt, *pediludium* longe omnibus in deliciis esse. Idque et pueris et senibus. Qui quam late ubique gentium pateat nemo infinitas ibit. Ad «fútbol», autem latine exprimentem, vocem inveximus «pediludium» (1), quae ex duobus conflata vocabulis, «pedi» nempe, et «ludus», aptissime rem illam significare visa est.

Pediludii ratio

Ludus hujuscemodi undecim lusoribus constat, quorum haec fere in pediludii campo distributio: Portarius, sive metae custos, juxta portam sistit, ejusque partes sunt metam totis viribus custodire, ne follis (*balón*) ab lusoribus hostibus jactatus, portam penetreret. Dein defensores tres — quorum unum est medius sive centralis, et duo alii extremi — portario adsunt, eumque defendunt contra impetus assultorum (*delanteros*), qui portam inire conantur. Hoc eis potissimum est consilium: lusores hostes in suum redigere campum, ut illis portae aditum minime pateat. Eos etiam appellamus «manipulus trium defensorum» (*línea defensiva*). Veniunt postea cursores duo (*los volantes*), qui nexum instituunt defensores inter et assultorum agmen (*la delantera*), ut opugnatio incitatior fiat et validior. Hi sunt, qui pilam assultoribus mittunt, ut ansam illis prebeant in hostium campum irruendi, sicque in portam invadere possint. Denique assultorum est acies, qui nihil aliud contendunt nisi ut possint metam adoriri follemque in portam inferre. Lusores quinque hoc agmen constituunt: ex eis, lusores tres manipulum constituunt trium assultorum (*trío central de ataque*), in quo medius (*delantero centro*) primas agit in campo. Et re quidem vera ille est qui totius ludi moderamen exercet, quippe qui reliquos dirigit, eisque opportunitatem facit follem in rete mittendi. Extremi tandem duo portam a lateribus circumveniunt et toto pectore una cum illis, follem vicissim dando et transmittendo, repetitis pilae jactibus ad metam contendunt, ut missum validum (*gol*) consequi tandem possint.

(1) Cfr. CANDIDATUS LATINUS, n. 12, 27. ALMA ROMA, 1928, p. 82.

VOCABULARIUM

<i>fútbol</i> , pediludium, folliludium.	<i>reglas, normas del juego, pediludit ratio; ludi leges, ritus.</i>
<i>futbolista</i> , pedilusor.	<i>área de juego, area ludi, campus.</i>
<i>jugador, lusor, collusor, (concertator)</i>	<i>área de castigo (de penalty), area (jactus) poenalis.</i>
<i>campeonato de liga, competiciones annuae (inter manipulos lusorios societatis).</i>	<i>punto de penalty, punctum ictus (jactus) poenalis.</i>
<i>federación nacional de fútbol, pediludit confederatio nationalis.</i>	<i>área de gol, area jactus validi.</i>
<i>club de fútbol, societas pediludit</i>	<i>líneas laterales, lineae laterales.</i>
<i>equipo, once, manipulus (manus) lusorum.</i>	<i>línea central, linea media (centralis)</i>
<i>partido, contentio, concertatio, certamen.</i>	<i>el círculo central, circulus medius (centralis)</i>
<i>partido amistoso, concertatio officiosa</i>	<i>el poste de la portería, trabs.</i>
<i>el once azulgrana, manipulus caeruleus ruber. que (m. caerulei rubrique coloris).</i>	<i>el travesaño de la portería (poste transversal), transversum lignum.</i>
<i>bando, los dos bandos, manus, manus utraque.</i>	<i>el larguero, arrectarius [palus], scapus.</i>
<i>pelota, pila.</i>	<i>bandera de la esquina, vexillum angulare.</i>
<i>balón, follis, m</i>	<i>bandera central, vexillum centrale.</i>
<i>esférico, sphaericum.</i>	<i>tribuna, suggestum, suggestus.</i>
<i>pelota de reglamento, pila pedalis; follis lusorius, legitimus, gymnicus.</i>	
<i>entrenador, exercitor, exercitator, (prolisor?)</i>	
<i>entrenamiento, exercitatio.</i>	
<i>ensayo, experimentum.</i>	
<i>ensayarse, proladere, se exercere.</i>	
<i>recibir a un jugador en un equipo, lusorem in manum cooptare, admittere.</i>	
<i>masaje, unctio, frictio.</i>	
<i>masajista, unctor; aliptes, ae, m</i>	
<i>hacer masajes, ungere, fricare.</i>	
II	
<i>campo de fútbol, pediludit campus, palaestra</i>	
<i>pediludit.</i>	
<i>campo de reglamento, campus lusorius, legitimus, gymnicus.</i>	
<i>césped, caespes.</i>	
<i>límites del campo, terminus, limes. —Constituire terminos.</i>	
<i>raya, linea campi.</i>	
<i>árbitro, arbiter. —El árbitro señala falta, defecum notat arbiter.</i>	
<i>arbitraje, arbitrium, arbitratus.</i>	
<i>arbitrar, judicio aestimare, (arbitrari)</i>	
<i>silbato, pito, sibilum.</i>	
<i>jueces del campo, judices campi. —No están de acuerdo, non convenit inter eos.</i>	
<i>juez de linea, judex lineae</i>	
<i>juez de puerta, judex portae, judex jactus validi.</i>	
III	
<i>capitán del equipo, dux manus, dux manipuli lusorii.</i>	
<i>portero, portarius.</i>	
<i>portería, porta.</i>	
<i>guardameta, metae custos, portae custos.</i>	
<i>la línea defensiva, manipulus trium defensorum.</i>	
<i>los defensas, defensores.</i>	
<i>defensa central, defensor medius (centralis)</i>	
<i>defensa derecha, defensor dexter.</i>	
<i>defensa zurdo, defensor sinister, laevus.</i>	
<i>la línea media (volantes), cursorum acies.</i>	
<i>medio derecho, cursor medius dextrae partis.</i>	
<i>medio zurdo, cursor medius sinistralia (laevae) partis.</i>	
<i>medios rapidísimos, citatissimi cursores.</i>	
<i>delantera, assultorum agmen</i>	
<i>trío central de ataque, manipulus (trium) assultorum.</i>	
<i>delanteros, assultores.</i>	
<i>extremos, assultores extremi.</i>	
<i>extremo dcha. izqda., assultor dexter, sinister (ass alae dextrae, laevae)</i>	
<i>buen jugador, industrius lusor, dexter est lusor.</i>	
<i>mal jugador, malus, imperitus lusor</i>	
<i>tramposo, insidiosus lusor.</i>	
<i>excelente jugador, optimus lusor.</i>	
<i>fenómeno en el juego, portentum in pediludio.</i>	
<i>jugar limpio, legitime ludere.</i>	

jugar bien, recte probe, belle, rite ludere.
jugar muy bien, perbelle, praeclare ludere.
jugar mal, male, inepte, secus ludere.
zancadilla, supplantatio.
hacer la zanc, aliquem supplantare.

IV

uniforme de futbolista, vestis pilae pedalis pediludit vestis, vestis lusoria; lusorium indumentum.
camiseta, indusitolum.
pantalones, femoralia, tum.
zapatos, calceus lusorius, calceus pediludit.
calcetines, pedulia, tum.
gorra (del portero), pilleus bucculatus.
rodilleras, genualia, tum.
guantes, chirothecae (digitabula, orum)
defensas, cruralia, tum (tibiae tegimen)
pañuelo, sudarium, linteolum.
vestuario (lugar donde se visten los j.), vestuarium.

V

saque, pilae jactatio.
chutar, follem jacere, mittere
chut, tiro, pilae jactus, pilae jaculatio.
rematar, remittere follem, repellere pilam.
remate, pilae remissio, repulso.
bote, rebote, pilae repercussio, onis.
rebatar, resilire pila, repercutere.
pelotear (jugar con la p. fuera de partido), pilam libere jacere, percutere Pila ludere.
errar la p. aquí y allá, follem ultro citroque jacere.
gol, tanto, jactus validus, missus validus.
hacer gol, per jactum validum portam attingere. Jactum validum consequi, adipisci.
Follem in portam inferre, immittere. Porta potiri. Invadere metam. Portae aditum obtinere, pertingere. Portam inire. Portarium eludere, vincere, superare.
penalty, ictus (jactus) poenalis.
punto de penalty, punctum ictus (jactus) poenalis.
estrellarse la p. en el poste, collidere ad lignum transversum, collidere ligno tr.
offside (fuera de juego), seorsum projicere (esse)
encuentro, choque de dos jugadores, lusorum collio; lusorum in se vicissim incurrentium conflictus, occursum.
un tanto, un golpe, percussio.

pelotazo, pilae ictus.
de repente, subito, repentino, improviso, nec opinatu impetu.
falta, defectus, defectio.
caída, casus, lapsus.
tropiezo, offendiculum.
tropezar, offendere.
apoderarse del balón, follem occupare, tenere; pila potiri.
jugada, lusto.
jugada inteligente, sapiens, gnara lusto.
jugarreta, inepta lusto.
mala jugada, exigua lusto.
hermosa jugada, bella lusto.
acosar un jugador a otro, adurgere, insectari, adoriri.
acoso, ataque, oppugnatio, aggressio, irruptio, incursus.
córner (saque de esquina), jactus (missus) angularis.
marcar un córner, emittere ex obliquo (cornu), projicere ex angulo.
errar la p. a córner, pilam retundere, (retrudere)

VI

copa, bravium.
victoria, triunfo, victoria, triumphus.
derrota, profligatio.
ser derrotado, victus discedere.
derrotar, profligare.
perder el partido, concertatione vincit. Ab altera manu superari.
ganar el p., ludo vincere. Victoria adipisci, parere, reportare ex altera manu.
empate, aequum, aequatum certamen. Aequata pugna.
empatar, pari (aequato certamine, aequata pugna) discedere.
número de tantos, punctorum numerus.
tantos a tantos, aequali numero.
salir al campo, in campum, in aciem prodire, descendere.
abandonar el campo, c. relinquere, discedere; rem deserere; locum altis dare.
reconocer el c., c. lustrare, explorare.
sustituir a un jugador por otro, sufficere, subrogare lusorem.
suplente, reserva, lusor subsidiarius, auxiliaris, -arius.

equipo vencedor, superatrix manus. Manipulus
losoria laude insignis.
campeón, vixor, superator.
jugador lesionado, lusor laesione affectus; vul-
neratus.
lesión, laesio, onis; *vulneratio*, onis.

VII
spectadores, público, spectatores.
-agitan pañuelos, linteola in altum extollunt.
agitant.
-aplaudien a los j., plausum lusoribus dant;
plaudunt.
-silban a un jugador, lusorem exsibant.

-animan a los jugadores, lusorum ánimos
erigunt, confirmant.
el juego se enfria, pierde interés, l. frigescit, fri-
get, deficit.
el juego se anima, cobra interés, l. incitatur.
el público lleva en hombros a un j., turba lusorem
umeris gestat.
público de las gradas, spectatores (in gradibus).
barrera, barandilla, saeptum; cancelli, orum.
partidarios de un equipo, cujusdam manus sec-
tatores; asseclae.
aficionados al fútbol, pediludii amatores, stu-
diosi

LEO M.º SANSEGUNDO, O. S. B.


Nova et Vetera

Janua

1. — Perfacile cuivis lectorum argumentum, ex adjunctae pictae tabulae con-
spectu, apparebit nobis hic perstringendum. In plerisque fere Romanicis linguis
exstat vox nostrae Hispanicae *puerta* parilis, a Latina vero *porta* deductā, cui du-
plus praeceps adest sensus. Vel enim est *cavus* formae quidem regularis, isque
apertus in pariete, saepimento clatrive a solo ad culmen usque conveniens, ingre-
diendi et egrediendi causa. Vel est *tabula* lignea, ferrea vel ex alia materia, com-
pagibus autem instruēta versatilibus aut in cardine posita firmataque clavi, pessu-
lo, repagulis, vete aliave re, ad ingressum vel egressum prohibendum.

2. — In Latina lingua haec habes vocabula ad duplam hanc rem significan-
-dam: *Ostium, janua, fores, valvae, porta*. Quae tamen, etsi non nunquam scripto-
res susque deque adhibeant, non sunt omnino ejusdem naturae atque usus. In
genere, hic earum vocum usus in priore Latinitate. *Ostium* et *janua* significant
nostram Hispamicam *puerta*, consideratam ut *cavum* vel *aperturam*, qua aliquis
intrat aut exit, hac tamen disparitate. *Ostium* vox est generalis ad designandam in
eo sensu omnem speciem hujus modi: id est, omnem *cavum* vel *aperturam* ejus-
dem similem, quod quidem vocis etymologiae (*os, oris*) commode respondet. *Janua*
dici solet ea praeceps alicujus domus. Ac praeterea *ostium* potius significat, quod
ducit in exteriorem partem; *janua* vero significare potest, quod in interiorem zoth-
cae vel dormitorii, cet.

Et contra, *fores* et *valvae* significant nostram *puerta*, non ex relatione ad *cavum*
vel *aperturam*, sed ad ligna vel linteal, cet., quae inserviunt eidem claudendo. Utra-
que vox, ut plurimum, dicitur de januis duarum tabularum: altera in aedificiis



communioribus, altera in sumptuosioribus, ut palatiis vel templis. Nihilo minus, vox *fores* potest simplicem significare januam; *valvae* autem duarum semper vel plurium tabularum.

Janua esse potest quae ingressum commodat hominibus et animalibus; at vero *porta* significant proprius aliquam grandiore januam, ut ea cellae raedariae, civitatis, conditorii. Haec ad rem affert, sub hac *Dictionarii* voce, clarus *Forcellinius*: «*Janua* a *porta* certe differt, quae est castrorum, moenium, urbis; tametsi ne hoc quidem est perpetuum». Sed haec summatim de vocum homonymia.

3. — In tabula piæta cernere potest lector genera varia januarum ad hodiernum vero gentium usum. Qui eas perficit faber lignarius, tignarius, materiarius nuncupatur. Qui diversis omnino utitur in eis perficiendis instrumentis fabrilibus, uti sunt: *Asciae*, *dolabra*, *mallei*, *normae*, *runcinae*, *scobinae*, *secures*, *serrae*, *terebrae*, *tudiculae*... Praecipuarum quidem januarum partium nomina habes in sequenti vocabulario latine et hispanice confecto, in commodum discipulorum litterarum Latinarum:

1 <i>Marco</i> , margo, inis	6 <i>Bisagra</i> , ferrea vertebra, ae	11 <i>Cancela</i> , cancelli, orum
2 <i>Rebajo</i> , canalis, is	7 <i>Larguero</i> , Scapus, i	12 <i>Entrepaso</i> , loculamentum, i
3 <i>Batiente</i> , postis, is	8 <i>Derrame</i> , Incisura, ae	13 <i>Peinazo</i> , tignum, i
4 <i>Bastidor</i> , fulcrum, i	9 <i>Postigo</i> , foricula, ae	14 <i>Falleba</i> , axis, is
5 <i>Hoja</i> , tabula, ae	10 <i>Gatera</i> , foramen, inis	

4. — *Janua* quasi est domus primordium. Itaque partem primam domus Romanae sic concipe. Ante ejusdem vestibulum constitutus, ad anticam habes in oculis frontem seu vulgo frontispicium. Accedenti vero ad januam, quae solet esse biforis et arcuata, objiciunt se utrinque postes seu antae, quorum quidem ornamenta sunt antepagmenta, prothyrides, ancones.

In altero postum sunt cardines, a quibus pendent fores aut valvae, et super quos aperiuntur vel clauduntur. Valvarum tamen nomine speciatim significatur in

sermone lumen januae aut fenestrae; olimque maxime in tricliniis amplae ac potentes siebant, quo cenantibus latius prospectus esset in omnes partes. In altero vero postium sunt claustra: nempe aut simplicissime claudens pessulus, indendus foraminis ipsius positis; aut obex vestisve remissarius, obdendus uncinato clavo qui posui est infixus.

Si reperis oppesulatam januam, pulsa. Si janitor per transennam vel clatros prospedet, roga aperiri seu reserari, curaque ne repagulis iram recludat. Memora nunc illud Ovidii: Hic (miles) portas frangit, at ille (amans) fores (i Amor. 9, 20) Et dum domum introis, attolle pedem, ne impingas ad inferum limen; caput autem submitte, ne allidas ad superliminare. Atque ne cardines strideant, aut fores crepent, move leniter. Sic domi alienae nihil te acceptius erit.

5. — Janitor vel ostiarius est custos januae; janitrix vero mulier, cui januae custodia commissa est. Antiquiores Romani, historia teste, quos habebant servos ad januam, catenatos prope ipsam habere solebant. Unde janitores, apud ipsos, inter vilissima mancipia habebantur. Hinc ille Ovidii versus: Janitor (indignum!) dura re'igate catena (i Amor. 6, 1). Caeli janitor erat apud antiquos Janus; inferorum vero Cerberus. Est omni tempore memorandus et careeris janitor, cui custodia in vincula publica conjectorum hominum publice committitur. Sed haec haec tenus. Ut his denique quisquiliis finem imponam, non nullas locutiones bilingues usitatiores addere de domo ejusdemque partibus placet, quae sermonem nostrum tanquam rotundent atque compleant:

<i>Domus necessariis rebus instructa: una casa bien amueblada</i>	<i>Tectum subire: entrar en casa</i>
<i>Domus ornata: una casa bien decorada</i>	<i>Tecto aliquem recipere: recibir a uno en casa</i>
<i>Domus ruina impendet: la casa amenaza ruina</i>	<i>Prohibere aliquem tecto: cerrar a uno la puerta</i>
<i>Domus subita ruina collapsa est: la casa se ha desplomado de repente</i>	<i>Foras exire: salir de casa</i>
<i>Domus rimas agit: la casa se agrieta</i>	<i>In publico: en la calle</i>
<i>Domum demoliri: demoler una casa</i>	<i>In publicum prodire: ir a la calle</i>
<i>Domus non omnes capit: no todos caben en casa</i>	<i>Ostium pulsare: llamar a la puerta</i>
<i>Domum frequentare: frecuentar una casa</i>	<i>Ostium aperire: abrir la puerta</i>
<i>Apud aliquem esse: estar en casa de alguno</i>	<i>Ostium claudere: cerrar la puerta</i>
<i>Domi: en casa</i>	<i>Fores obserare: cerrar con cerrojo</i>
<i>Domi meae: en mi casa</i>	<i>Januam effringere: romper la puerta</i>
<i>Domi alienae: en casa de otro</i>	<i>Portam obstruere: barricar la puerta</i>
<i>Foris: fuera de casa</i>	<i>Lumina immittere: abrir ventanas</i>
<i>Apud eum sic fui, tanquam domi meae: estaba en su casa, como en la mia</i>	<i>Domo emigrare: abandonar el pais</i>
	<i>Domus tota nostra te salutat: toda mi familia te saluda</i>

ILDEPHONSUS GONZÁLEZ, C. M. F.

PER ORBEM

Certamen Capitolinum IV. — In Certamine Capitulino IV dignus est habitus qui *praemio Urbis* ornaretur Marius Pinto, Professor Salernitanus, qui ficta fabella cui index «Iter Bithynicum» certamen petierat; huic proximus victor exstitit Michaël-Angelus Petruzzielo, Prof. item Salernitanus, qui narrationem, quae «Mater infelix» inscribitur, conscripsit. Laude quoque digni sunt neque silentio praetereundi libelli qui inscribuntur: *Suam quisque patriam magnopere amat, Quo modo afficiantur qui oblectationis causa montes peragrant, Pennae nido maiores, De floribus, Plautus redivivus, Vincentii Ussani manibus*, quorum sunt scriptores: Gaspar Adragna, Umbertus Boella, Jos. Morabito, Joachinus Petrolli, J. B. Pigato.

Indicitur Certamen Capitulinum V: superioribus legibus ea additur qua interpretationes seu conversiones interdicuntur.

Curricula aestiva Barcinone habita. — A die 5 mensis augusti ad diem 26 Barcinone traditae sunt selectae lectiones de quaestionibus Hispanicis, quaè ad linguam; ad grammaticam, ad cultum et mores, ad musicam, ad viros quosdam praestantissimos, ad vitam ipsam Hispanorum spectant. — Praeterea, in urbe Subur (*Sitges*) et Majoricae pro exteris civibus tres cursus de lingua Hispanica traditi sunt. Horum curricularum moderatori, Dri. Mariano Bassols de Climent, est cur congratulemur.

Supremus militiae magister Eisenhower lingua Latina loquitur: ille enim sociis, qui lingua Latina in sermone cottidiano utuntur, interesse amat; et ut fertur in votis et in mente habet magnus ille vir lexicon novae Latinitatis edere quod voces amplectatur olim a Romanis ignotas. Duo afferuntur ab eo proposita vocabula «tollentor» (*ascensor*) et «volvuletta» (*cigarro*). Libenter sane haec perlegimus, nobisque pergratum foret cum praeclaro duce commercium instituere, eique opusculum, cui index *Nova et Vetera*, praebere legendum ut ampliorem loquendi rationem cognitam haberet novasque voces adhiberet.

Schola Latina Lemovici (Limoges) est aperta in qua Dnus. Lantenier Montessorianam secutus doctrinam aluminos a primis pueritiae annis docet ita ut sexto aut septimo aetatis anno cum lingua Gallica pueri Latinam quoque ediscant. Nam —ut experimento exploratum habent praeclari illi magistri— pueri facile simul linguas possunt perdiscere. Quae quidem ratio docendi si in scholis vigeret, multi essent qui, cum ad disciplinas superioris institutionis accederent, linguam Latinam optime callerent.

— CENSORINUS

Commercium epistulare

Censorinus diligentissimo quondam alumno suo sal. pl.

Nihil adeo animum oblectat quam vera ac sincera amicitia; ea enim et praeterita suaviter memorat, et animos diversis locis separatos amore et recordatione conjungit, et, futura praevidens, cum amicis consociari et colloqui desiderat. Hac igitur gratissima amicitia vobiscum mente sumus ac de vestro litterarum amore et de partis in iis triumphis gaudemus.

Scripta, quae sub aureo *Latinitatis* indice in commentario vestro producent, suavisima animi voluptate perlegimus.

Mens jam diu erat ad ea quae «*lectoribus*» scripsisti responsum dare. Etenim vera protulisti verba de litterarum studio: eae sane sunt quae perpetuo vestram excolunt mentem, quae regulas veritatis et pulchritudinis animo infingunt, quae vos humanissimos in hominum convictu reddunt.

Verus tamen amor omnia bona amicis desiderat et dolet de malis; mala autem in hominibus plurima sunt, quae omnia vitare nequimus. Qui vero magistri fungitur munere perfectum dicendi genus a discipulis exigit ne minus recta in animo insidant et aliis manifesta fiant.

Vestra profecto placent; sunt multa in his quae probentur; vos tamen qui puram persequimini Latinitatem, inelegantem formas vitare debetis.

Mente igitur tenete voces Hispanicas, nulla addita flexione Latina neque appositione, haud ita recte usurpari; ideo aptius *commentarius noster Fiso* vel qui *inscribitur Fiso* proferes, quam vocem ut Latino verbo reddatis a vobis requirere non auderem cum alia a mente vestra diversa vox *zoophorus* significet.

Non nulla cum adhibentur adjectiva eodem gradu proferantur oportet: «Humanissimi atque honestissimi viri» (cfr. *Caesar homo mitissimus atque lenissimus: Roscius, homo tam splendidus et gratiosus*).

Verbum *adjuvare* transitiva ratione tantum adhibebitis.

Denique aliud est *lectorem esse, aliud legentem*.

Quae si memoria retinueritis, exquisitam dicendi rationem persequemini. A via, in quam ingressi estis nunquam deflectatis. «Sic et vos currite ut comprehendatis» bona et recta, quae ex veterum doctrina et elegantia comprehendendi sane possunt. Palma vobis et triumphus manet: quibus «*optima et amplissima*» cultus animi cumulate gustare poteritis. Valete.

Barbastro. XIV Kal. Octobres, anno MCMLIII.

FABELLA ALBIUS LONGUS SIBI SOMNIA FINGIT*

Irretortis (1) oculis intuens Longum Publius senex, ira plenus; «Quid vis, inquit». Johannes, tam aspero hospitio conturbatus, respondit: «Habesne domum locandam?» — «Habeo equidem», inquit dominus, hilari serenoque vultu. — «Modo perlustravi totam; inde revertor; locationis condiciones perspectas habere velim». — «Placet sane. Sedeas, o bone, sedeas quaeso. Ergo domum meam conducere desideras?» — «Ita est, domine, dum modica sit conductio». — Viginti duntaxat libellis in annum constabit. Nonne minimi pretii tibi videtur? — «Sane haudquaquam minimum pretium aestimo, respondit Longus, tamen ultro locabo». — «Trium igitur mensium pecuniam persolvas oportet, cum mihi homo non satis cognitus sis». — «Nullum ultra verbum, inquit Albius», tesseram nummariam (2) quinque libellarum e crumena extrahens.

Publius, adeo indulgentem sibi Longum animadvertis, plus ab eo exigere potuisse credidit. Deinde duo sibi esse habitacula ait supellectili ad locandum instructa in eadem domo, quae Longus exiguo pretio conduceret; quod si unum aut duo retineret, sibi pergratum fore.

— «Neutrum, inquit Albius, conducam; spero tamen fore ut tempore procedente ea accipere possim. Interea possumne apud te hospitio recipi?». — «Nihil obstat, respondit Publius. Tantummodo tibi quadraginta libellis in annum constabit, quae singulis mensibus erunt repraesentandae» (3).

— «Bene est», inquit Albius, pecuniam primi mensis pactam locatori porrigenis. Hic diligenter numeravit et, quod de pecunia supererat, restituit, et «num hodie, inquit, apud nos jam commoraberis». — «Ita est. Quota hora apud vos cenatur?».

— «Ad quartam post meridiem, bone adulescens; at ea in nobis est diligentia ut vix personuerit hora, mensa parata sit».

— «Perbene est. Redibo ad punctum horae quartae, demptis quinque minutis.

— «Composita et pacta est res, inquit senex. Certiore de adventu tuo eram faciam. Assum erit, offa vitulina et suina carne mixta, haedinae quoque carnis frustula cum spinacis et solani tuberis particulis, agnинum quoque caput elixum. Placetne tibi caput agnинum?».

— «Parum placet, domine, neque satis spinaca arridet; sed tanti est; bovina caro et solani tubera satis juvant quae resarciri possunt. Volupe mihi est quod, quantum auguror, nullo modo fame apud vos peribo, si cottidie iisdem escis utar. Vale, domine».

(*Ad proximum num.*) *Convertit RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.*

1) despectivos; — 2) billete de banco; — 3) anticipar, dar por anticipado.

* Cfr. fasc. 139. p. 53.

Bibliographia

SILVIA JANNACONE. — *Recherches sur les éléments grecs du vocabulaire latin de l'empire*. Champion, Paris, 1950.

Tribus compleetur partibus hic liber de vocibus Graecis in Latino sermone Imperii temporibus usitatis

In prima, quae ceteris brevior est, quaestio exponitur historica et generalioria afferuntur mentis cogitata

In secunda de phoenomenis linguis ticiis i. e. de commutatione vocum Graecarum in Latinam linguam, de mutationibus consonantium et vocalium, de verbis Graecis-Latinis, de non nullorum verborum flexione.

In tertia tandem parte usus perpenditur verborum Graecorum apud aliquos scriptores: Martialem poëtam et Juvenalem, ecclesiasticos scriptores, grammaticos, cet.

Opus viris eruditis, qui linguam Latinam ejusque vocum originem investigant, maximo erit commodo et utilitati.

F. M. ALBA, C. M. F.

M. ANTONIO CARO. — «Poesias Latinas», «Versiones Latinas», vol. VI VII, Publicaciones del «Instituto Caro y Cuervo», edición dirigida por J. M. Rivas Sacconi. Bogotá 1951.

En pulchra sane duo volumina ab «Instituto Caro y Cuervo» in vulgus edita quae M. Antonii Caro carmina Latina continent: «Carminum libri tres» et «Latinæ interpretationes, sive carmina e poëtis præcipue Hispanis, tum Italis, Gallis, Anglis latine redditæ».

Primo volumini præxit Prooemium Dni. J. M. Rivas Sacconi atque Prolusio Latina Rdi. P. Danielis Restrepo, S. J., qui magnis meritisque honoribus extollunt et opera et ingenium poëticum M. Antonii Caro, principis inter vates Americanos qui carmina Latina confecerunt. Ex illa præcipue Prolusione me quidquam juvat excerpere quo facilorem

clarissimi poëtae Columbiani notitiam nostri habeant lectores.

Carminum libri tres continent poëmata plerumque brevia variis generis poëtici et metricti. «Ex metricis modis, ut Pater Restrepo scripsit, hexametrum prætulit Caro. Saepe utitur etiam elegis; minori frequentia saphicis indulxit, raro iambicis» «Versus heroicis ingenio nostri poëtae apprime conveniebat». Metricas leges omnino servavit Caro, nam «nullibi reperitur versus aliquis propter metricas normas reprehendendus». Carminum libri, quibus Caro aestuavit, passim amores effundunt. Quam vere plus vir isque religiosus observantissimus et peritissimus versibus sincera pietate conscriptis appetat «cum eniteat passim affectus religiosus» «quod aperte manifestat eum in cultum Divinitatis fuisse, propensissimum», adeo ut «vel ex his poëmatibus posset cognoscere illum vere theologum existisse».

Quam fidelis etiam familiae, amicitiae patriæque cultor! Filii enim «lyrae sonos paterno affectu dicat»; amicis vero «haec (carmina) tenerum cor demonstrant, quod signum esse solet animi ac benevolentiae comitatis»; Columbiae demum ardentissimo fragrans amore «frequentia dissidia Republicae dolet».

Quam versatilis vates! Omnia ejus animum poëticæ attingebant: «Ratione etiam orbata, immo et res inanimas suis carminibus digna judicavit». Nonnumquam scriptorum epigrammaticorum fines fortunatus invasit: «Nec defuit locus salibus et facetiis».

Quam vere Latinus Caro! «Caro cogitabat latine, sentiebat latine, et sensa et cogitata latine exprimebat». «Poëseos Latinæ vim, gratiam ac penitorem sensum hausit atque arripuit».

Quam magnus nimirum poëtal! «Supervacaneum duco ostendere pulchritudinem stili poëticæ quæ in his voluminibus elucet, elegantiam sermonis, epit-

thetorum gratiam, allegoriarum aptam inventionem; verbo, arte magni poëtae.

Quam demum hodiernus vates! «Quamvis antiquitatis amator et imitator, Caro homo est sui saeculi; vivens inter antiquos videtur, sed minime obsoletus, minime archaeus».

Itaque ejus carmina omnibus probabuntur quo pacto sermo Latinus rebus mortibusque hodiernis describendis inservire possit.

Ad «Latinas Interpretationes» quod attinet, meminerint lectores sententiam illam quam ipse Caro interpretibus proposuisset, eum omnino attigisse: «poëtas, mea opinione, fideliter, ac simul, quantum fieri potest, poëticè converti oportere». Adeo ut P. Restrepo audeat «casserete eum non semel superasse originariam conceptionem, sive sentiendo more Latinarum sive in elocutione conformanda».

Qua propter haec carminum pulchra volumina Ihs in primis qui poësim Latinam amant, colunt eamque in hodiernum usum accommodatam volunt, enixe commendamus

M. MOLINA, C. M. F.

ARCHER WOODFORT. — *Obras de Juan de Cueto y Mena*. Publicaciones del Instituto Caro y Cuervo. Bogotá, 1952.

Alto utili volumine est locupletata Bibliotheca egregii «Instituto Caro y Cuervo», in urbe Bogotana Nonum quidem est in iugi serie «Publicationum». In eo vero colligitur totum litterarum opus Joannis de Cueto y Mena, qui medio saeculo XVII vixit et scripsit, in urbe Carthaginæ Indiarum.

Scripta haec adhuc ignota prorsus permanserant. Ex quo magna tribuenda laus claro viro Archer Woodford, cuius quidem opera in lucem edita sunt. Quod non parum conferet, ad altius cognoscendam mentem, cum litterariam tum politicam, ejus temporis coloniae in Republica Columbiana

Atque operi praest diserta praefatio Dris Josephi M. Rivas Sacconi, Instituti Bogotensis Praesidis, qui praecipua raptim de vita et arte litteraria Menensi nobis patefacit (pp IX XXXIX).

Praefationem vero consequitur introductio, ubi ab Archer consideratur scriptor, ejus opera, eruditio, stilus, versificatio et repraesentatio partium dramaticarum (pp 1-40). Qui eruditis notulis ornat omnia Menensia scripta ad nos usque transmissa Sunt quae sequuntur: «Discurso del amor y de la muerte» (pp. 41-88); «Competencia en los nobles y discordia concordada» (pp. 115-189); «Canción describiendo el cerro de la Popa» (pp. 203-211); «Relación de las insignes Festividades a la Canonización de Santo Tomás de Villanueva» (pp. 217-246); «Paráphrasis penitencial» (pp. 255-285); «Silva epithalámica» (pp. 299-305). Finitur opus bibliographia (pp. 309-314).

MARTIN P NILSSON — *Historia de la Religiosidad Griega*. Editorial Gredos. Benito Gutiérrez, Madrid, 1953.

Liber historiae hic ab auctore historicō magni quidem ponderis elaboratus: quasi fructus maturus multorum annorum studio assiduo religionis Graecæ dicatorum. Hic vero liber non magistris, sed potius alumnis ab scriptore offertur: liber in primis evulgationis Opus clarū virtu Nilsson certe amplum et scientificum est «Geschichte der griechischen Religion» in duobus refertis voluminibus exaratum

Post prooemium et introductionem (pag. 7-30). Liber quasi triplici gradu progressitur: Religio Graeca tempore archaico (pag. 31-83) Disturbatio (pag. 85-114). Renovatio (pag. 115-220). Cui breve summarium additur (pag. 221-236).

Hujus operis originale scriptum est Suecum, 1946. Exstat vero translatio Anglicæ 1948; Italica, 1949; Germanica, 1950; Hispanica, 1953. Haec translatio exarata est a claro scriptore Martín Sanchez Rulpérez. Vere laude digna est do-

mus editi ix Gredos, quae alumnis nostris facilem reddidit cognitionem praeclaris hujus operis.

JULIÁN MOTTA SALAS. — *La Anábasis*. traducción directa de griego. Biblioteca de Autores Colombianos. Editorial Cosmos, Bogotá, 1953.

Mirum in hodierno progressu studiorum cultusque antiquitatis classicae, Graecae et Latinae, omne opus novum quod prelo exprimitur animus non plaudere non potest. Atque nova haec et frequens editio tantum operum ubivis terrarum modo pullulat. Ex dissitis Columbiae plagis ad nos pervenit translatio haec directa e lingua Graeca, celeberrimi operis *Anabasis Xenophontae*.

Plurimum jam litterae classicae debent claro Dr. J. Motta Salas, e academia Columbiana linguae socio. Et mens certe requiescit in legenda nitida hac translatione Hispanica, quae quidem textui primigenito accurate aptatur. Eo non perhibetur hic textus Graecus, neque notitia vel commentaria grammaticalia, quod non agatur de editione proprie scholari; at opus tamen erit perutile alumnis linguae Graecae, qui cognitioni libri *Anabasis* intendere studeant. In pagellis 130 scriptor fuse scilicetque disserit, cum de X nophonte tum de ejus hoc opere: quo melius comprehendetur translatio Hispanica, quae ceterum ad litteram procedere solet, quin ideo pavidius textus Graeci servus sit interpres. Utinam in dies haec «Auctorum Columbianorum Bibliotheca» et amplificetur et honoretur! Scriptorem vero hujus libri, quem magno opere PAL. ESTRAE LATINAE lectoribus commendandum censemus, ex animo plaudimus de Humanioribus litteris bene meritum.

J. LALIBERTÉ. C. SS R -- *L'Eternel Contemporain dans les adieux d'Andromaque et d'Hector*. Québec. Imprimerie Franciscaine Missionnaire, 188, Grande Allée. 1953.

Hujus utilis opusculi scriptor verus cultor et amans est linguae Graecae, abhinc multos ejusdem magisterii annos, in primisque principiis poëtarum, Homeri, quem ipse accommodate appellat «L'éternel Contemporain». Hinc ejusdem scriptoris nixus atque opera jugis, ut Homericum poëticum opus alumnis linguae Graecae patens fiat, ab hisque in dies ex animo aestimetur.

In hoc vero opusculo praebet nobis: Textum Graecum, translationem, vocabularium quaestionumque collectionem versuum Iliadis, 6: 390-502. Atque ratione ac via certe analytica eaque critica, studet occursui separationique Hectoris, Andromachae, Astyanactis: de quibus pulcherrime Homerus canit. Profecto hic omnino consentanea est illa vox, in fronte hujus operis: «Méthode humanisante proposée». Ea nimur ratione et via tanquam «spiritum» Poëtae scriptor discipulis detegit atque patefacit. Ex imo corde adeo claro linguae Graecae cultori atque magistro gratulamur.

COLLECTIO GREDOS BILINGUIS.

Qui libri componunt hanc Collectiōnem, sub textu originali arte omnino critica recensito, translationem offerunt litterariam; atque, in pagella adjuncta, duabus vero columnis, textum ordinatum una cum translatione ad litteram. Itaque eorum ope quilibet, etsi parum scriptorum classicorum consultus, potest legere autores Latinos et Graecos. In eorum originali lingua facileque progredi in utriusque linguae cognitione. Collectio adhuc continet sequentia volumina:

CES R: *Guerra de las Galias*: I, II, III, IV, V, VI, VII. *Guerra Civil*: I, II. III CICERON: *Pro Marcello*, *Catinarias*, *Defensa del poeta Arquias*, *De Amicitia*. SALUSTIO: *Conjuración de Catilina*, *Guerra de Yugurta*. T. LIVIO: *Ab urbe Condita* XXII, XXIV, XXV, XXX. JENOFONTE: *Anábasis* I.

ILDEFONSO GONZÁLEZ C. M. F.

CURIOSA ET JOCOSA

Pyramis duplex

a 1
b 2 1
c 2 1 3
d 4 3 2 3
e 5 3 2 4 1
f 2 4 1 6 5 3
g 5 3 2 1 6
h 6 1 5 3
i 6 1 5
j 1 6
k 1

- a) vade! pergel
- b) consonans Graeca
- c) religiosa, casta
- d) margo fluminis lacusque
- e) cornutae bestiae domesticae
- f) pristina, antiqua
- g) pater Anchisae ($y=1$)
- h) pugio
- i) ita, taliter
- j) pronomen demonstrativum
- k) vade, perge

(Solutio in proximum fasc.)

Magister interrogat Maccium:

— Dic mihi habitentne in stellis homines.
— Habitant, nam vespere illuminatae sunt.

Marcus interrogat patrem:

— Pater, quomodo nominatur pater asini parvi?
— Asinus magnus —, respondet pater mirans.
— Ergo cur me semper asinum parvum nominas?

Qualis interrogatio tale responsum

— Cur pisces muti sunt?
— Num tu, amice, loqui sub aqua potes?

Collegerunt ex JUVENTUTE Scholastici Celsonenses

In via

— O optimum amicum, peropportune advenisti.
— Optimus sane semper amicus, sed nunc numinis prorsus careo.

Medicus dentium

— Pro dente extrahendo 25 pesetae sunt solvendae
— Viginti quinque pesetae, ut arbitror, laborem unius momenti vere non aequant.
— Si vis, possum tibi per horam extrahere illum...

Aedificatio hodierna

INQUILINUS: (cum omnibus supellectilibus): «Hic sum. Domicilium meum occupare velim».

DOMICURIUS: «In quota contabulacione conduxit domicilium?

«In tertia».

— «Tunc, sodes, venias post meridiem. Contabulatio enim tertia nondum est aedificata».

— Elegantissimus es! Venustissimae vestes tuae!...

Hereditatem accepistine?

— Non, mensam parsimoniariam (caja de ahorros) invasi.

— Euge! Et quo modo fecisti?

— Noche per fenestram.

Dominus misit servum ut agrum a mane usque ad vesperum coleret. Ad meridiem dominus exit in agrum, volebat enim videre servum dum laborabat. Calor solis vehemens erat et servus dormiens in umbra arboris repertus est.

— «Babae! homo impudens, tu hic dormis? Non es dignus luce solisi!» dicit dominus.

— «Hoc pérbene scio, respondit servus, et propterea in hunc umbrorum locum recessi».

EMMANUEL ABAD, C. M. F.
Barbastri